



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

CLXXII. Markgraf Ludwig d. R. vereignet für sich und seinen Bruder Otto
der Marienkirche in Salzwedel eine Getreidepacht aus Büne, am 26.
September 1361.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

CLXXI. Markgraf Ludwig der Römer vereignet für sich und seinen Bruder Otto der Stadt Salzwedel eine Hebung aus der Bockhorning-Mühle, am 26. September 1361.

Nouerint uniuersi tenorem presentium inspecturi, quod Nos Ludeuicus Romanus, dei gratia Marchio Brandenburgensis et Lusatie, sacri romani imperii Archicamerarius, Comes palatinus Rheni et Bauarie Dux, recognoscimus publice pro nobis illustrique principe Ottone, Marchione Brandenburgensi, fratre nostro karissimo, quod nos prudentibus viris consulibus ac omnibus Gyldis et communitati antike ciuitatis nostre Soltwedel fidelibus nostris dilectis presentibus et futuris dedimus, damus iustoque proprietatis titulo presentibus et donamus proprietatem trium chororum siliginis annui pactus de molendino dicto Bukchornynge deriuantium, ante dictam nostram ciuitatem sito, quos redditus prouida domina Lucia, relicta quondam Jacobi, dicti by dem Sode, cuius ibidem, ad vite ipsius tempora nunc possidet atque tenet, sic quod post mortem dicte domine predicti redditus ad prenotatos consules, Gyldas et ciues presentes et futuros cum omni iure debebunt perpetuis temporibus iusto proprietatis tytulo pertinere et sine impedimento quorumlibet quiete et pacifice possidere. Renunciantes etiam pro nobis omni iuri, actioni et impetitioni, quod vel que nobis heredibus et successoribus nostris in dictis tribus choris competunt aut competere poterunt aequaliter in futurum. In cuius rei euidenciam sigillum nostrum presentibus duximus appendendum, presentibus strenuis uiris Arnolde de Luderitz, Gumprecht de Aldenhufen, Petro de Trutenbergk, militibus, Heinrico et Wernhero de Schulenburg et Gunzelino de Bertensleben, nostris aduocatis, cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Soltwedel, anno domini M^o. CCC^o. LX. primo, dominica proxima ante diem sancti Michaelis Archangeli.

Nach dem Originale im Salzw. Archiv XVI, 6.

CLXXII. Markgraf Ludwig d. R. vereignet für sich und seinen Bruder Otto der Marienkirche in Salzwedel eine Getreidepacht aus Büne, am 26. September 1361.

Nouerint uniuersi tenorem presentium inspecturi, quod nos Ludouicus Romanus, dei gratia Marchio Brandenburgensis et Lusatie — — nostro et illustris principis Ottonis, Marchionis Brandenburgensis, fratris nostri karissimi nomine, ob honorem et reuerentiam omnipotentis Dei, gloriose genitricis sue virginis Marie et omnium sanctorum, nec non ob jugem et perhennem magnificorum principum Marchionum Brandenburg. predecessorum nostrorum pie recordationis, nostre, heredum et successorum nostrorum animarum memoriam et specialiter ob remedium anime Diederici Thuriz bone memorie, quondam ciuis in antiqua ciuitate nostra Soltwedel, appropriauimus et presentibus appropriamus unum chorum siliginis annui pactus, in territorio dicto Werder in villa dicta Büne situm, de curia Arnoldi dimidium chorum siliginis, et de curia quam inhabitabit Heyne Holtvogt dimidium chorum siliginis singulis annis prouenientem, ad altare consecratum in honoré corporis Christi, situm in ecclesia parochiali B. virginis Marie predicte antike ciuitatis nostre Soltwedel, perpetuis temporibus iusto proprietatis titulo quiete

et pacifice sine impedimento percipiendum. Renunciantes pro nobis, heredibus et successoribus nostris omni juri, actioni et impetitioni, quod vel que nobis competunt vel competere possunt aliquantulum in futurum. In cuius rei euidenciam sigillum nostrum presentibus est appensum, presentibus strenuis viris Arnolde de Luderiz, Gumperto de Aldenhufen et Petro de Trutenberg, militibus, Wenero, Hinrico, Henningho de Schulenburg et Gunzelino de Bartensleuen, Aduocatis nostris, cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Soltwedel, anno Domini M^o. CCC^o. LX. primo, dominica proxima ante diem S. Michaelis Archangeli.

Aus Gercken's Codex.

CLXXIII. Markgraf Ludwig d. R. bestätigt dem heil. Geist-Kloster zu Soltwedel das Patronat der Katharinenkirche, am 29. September 1361.

Nos Ludouicus Romanus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio — uniuersis Christi fidelibus — ideo donationem juris patronatus ecclesie S. Catharine virginis, in noua ciuitate nostra Soltwedele situate, per excellentem principem Agnetem, quondam magnifici principis Woldemari, marchionis Brandenburgensis, et deinde Ottonis, Brunswicensis Ducis, conthoralem, Ducissam Brunswicensem felicis recordationis deuoto collegio canonicorum regularium monasterii S. Spiritus prope ciuitatem nostram Soltwedel situati, suis priuilegiis sollempniter facta, salubriter moti cum sana deliberatione pretactam donationem juris patronatus ecclesie parochialis prenotate cum dote et singulis suis prouentibus juribus et pertinentiis quibuscunque honorabili viro preposito totique collegio Canonicorum regularium monasterii prenarrati presentium ac futurorum ob salutare remedium predecessorum nostrorum Marchionum Brandenburg. nostrorumque heredum et successorum animarum, nostro et illustris principis Ottonis, Marchionis Brandenburgensis, fratris nostri karissimi nomine ratificamus, confirmamus et approbamus, et si quid juris in dicto jure patronatus seu in ipsa ecclesia B. Catharine nobis competeret seu competere posset, tembre presentium dictis preposito et collegio monasterii S. Spiritus donamus et appropriamus, omne jus nobis competens in eisdem a nobis omnimode abdicando et transferendo in prepositum et monasterium S. Spiritus sepe dicti, ita quod ipsi dictum jus patronatus et ecclesiam B. Catharine iusto proprietatis titulo perpetuis temporibus valeant pacifice possidere, renunciantes pro nobis, fratre nostro predicto, heredibus nostris et successoribus uniuersis omni juri, actioni et impetitioni, que nobis in premissis jure patronatus ecclesie supradicte et suis pertinentiis competeabant et competere poterunt aliquantulum in futurum. In cuius rei euidenciam clariorem sigillum nostrum presentibus est appensum presentibus strenuis viris Gumperto de Aldenhufen, Johanne de Rochau, militibus, Henrico de Schulenborch et Günzelino de Bartensleue, advocatis nostris trans Albeam, Conrado, plebano in Kyrize, ac pluribus fide dignis. Datum Tangermünde, anno domini M^o. CCC^o. sexagesimo primo, in die B. Michaelis Archangeli.

Nach Gercken's Dipl. I, 342—344.